

sum pronunciatum est, coetus illos deteriores esse ethnicis et Iudaeis. Harum enunciationum nimis barbararum, si nostros nondum pudet pigetque, vere saxea circumferimus pectora. Videmus deinde concurrere quasi ad synodum Lystricam²⁴⁹ plurimos ex iisdem castris, ardentis ira et odiis, non eo consilio, vt controuersiae istae cognoscan-[86:]tur, sed tantum, vt homines pij partis 5 aduersae infames pronuncientur et damnentur, quos profecto libentius, si possent, trucidassent vniuersos. Atque haec ea suscipiuntur cum audacia et temeritate, vt etiam ex nostris quidam de illis Areopagitis dixerint, nunc exoriri nouam sectam, quam oporteat appellare „Anathematistas.“^b Deinde non iniuria conqueri possunt boni illi homines, etiam hos, qui antea, cum aura 10 videretur esse secundior, visi sunt minus esse iniqui et qui fortassis rebus afflictis medicinam afferre debebant et poterant, nunc suo quodam consilio vel metu amittendi sui loci et existimationis reddi alieniores.

Narrat historia, cum in caede caesaris ipse Iulius cruentus multis vulneribus inter coniuratos etiam Brutum, quem vt filium complexus fuerat, stricto pu- 15 gione accurrere ad lanienam videret, velato capite dixisse: καὶ σὸ, ὦ τέκνον!²⁵⁰ atque simul corpus illis omnibus lacerandum porrexisse. Ita viri docti, senes et sancti cum gemitu vident se suasque ecclesias premi suffragiis eorum, quos paterno amore complexi sunt, quos erudierunt et ornarunt. Sed profecto non tuebimur pacem eiusmodi consiliis, quae ad breue tempus mu- 20 nire videntur nostram autoritatem et nulla interea recta nituntur ratione. Nam obsecro vos, cum vt credo fateamini non debere tolli iudicia ex ecclesia, sed opus esse legitima cognitione controuersiarum, circumspiciamus quaeso, qualis sit ordo nostrorum iudiciorum in hac causa. Populus educatus est in opinionibus illis, quae reuera ex reliquiis pontificiis natae sunt, et haeret in 25 plerisque cogitatio de quodam singulari numine, neque eam opinionem exuere potest neque meliori imbuitur. Nam plures ex illis, qui ad populum loquuntur, et ipsi hanc causam, cum de ea non multum solliciti sint et bona scripta aut prorsus non attingant aut certe segniter et cum voluntate tam ab- alienata, non intelligunt, multi etiam suo loco dignitati et quaestui metuunt. 30 Ideo de industria plebem in eiusmodi opinionibus detinent et con-[87:]tra partem aduersam acerrime inflammant, ita, vt multi illos, si daretur occasio, dentibus discerpaturi esse videantur. Siqui vero inter concionatores sunt saniores aut modestiores, qui nec phrases impias nec conuitia et furores aliorum imitari volunt, illi ab ipsis suis fratribus occasione quaesita ex sermonibus, 35 scriptionibus priuatis aut ambiguis acerbe ad populum traducuntur, nec qui-

^b Im Druck durch Versalien hervorgehoben.

²⁴⁹ Vgl. Act 14,8–20.

²⁵⁰ Vgl. etwa Cassius Dio, *Historiae romanae* XLIV, 19, 5, in: Cassius Dio, *Historiarum Romanarum quae supersunt*, hg. v. Ursel Philipp Boisseuain, Berlin 1898, 116,28f.